DEO DUCE ET AUSPICE CHRISTO!

DISSERTATIO MEDICA, PROPONENS JUVENEM MELANCHOLIA LABORANTEM,

Quam,
Auctoritate & Consensu
Illustris & gratiosissimæ Facultatis MEDICÆ
in florentissimâ Salanâ,
SUB PRÆSIDIO
VIRI Nobilissimi, Amplissimi, Excellentissimi, atque Experientissimi,

DN. GEORGII WOLFF-GANGI WEDELII,
Med. Doct. ac Theoretices Profess. Publ. decantatissimi, Medici Ducalis Saxon. felicissimi, S.R.I. Acad. Natur. Curios. Collegæ primarii,
Dn. Præceptoris, Patroni, Promotoris atque Evergetæ summâ pietate devenerandi,

Publico Φυλιάτρων examini submittit
RESPONSURUS AUTOR

JUSTUS RUDOLPHUS Heydenreich/
Erffurt. Thur.

Ad diem 30. Aprilis Anni M. DC. LXXV.
H. L. Q. C.

JENÆ,
EX TYPOGRAPHIA KREBSIANA.



PROOEMIUM.

MEntis mala transire ad corpus, & quæ corpus fatigant, ad mentem redundare, extrà dubium est, si quis ad ea attendat, quæ toto die occurrunt non tàm Medico, quàm cuivis alii, quàm sibi ipsi. Nescit Natura Stoicis duci legibus: gaudia pelle, pelle timorem, spemq; fugato, nec dolor adsit; sed suo utitur jure, & quæ perpetua est corporis ac animi communio, alter ab altero mutuatur, quod vel ægrè est, vel delectat. Mala mens, malus animus, pati quidem nesciunt, & patiuntur tamen. Ἄνευ τῶν ἔξω στασιάζει αὐτὸς αὐτῷ. *Nullâ extrinsecus removente, ipse intrà se dissidet sæpè,* ut Deo hominibusq; communis, in infimum agi videatur, è fastigio suo dejectus. Regere nescia mens subjecta est, & bruto hominem exæquat; arbitra bonorum & malorum omnia vel in malum vertit, in quæ specie optimi venerat, vel contrà ea agit. Dolet prius quàm necesse est, antecedit malum suum, prætimet, quo nihil miserius, imò ipsa sibi fingit infirmitate quâdam metum, ubi nullus est, & intemperantiâ quâdam perpetuâ conficitur tristitiâ, nec spe metum temperat, sed vitium vitio cumulat, quo miserrimum nihil. Tacemus alias cœli microcosmici eccentricitates & varia figmenta, quæ tàm absurda divinum animal quandoque ludunt. Sistimus Melancholicum ægrum, cujus & mederi morbo, & affectus hujus cognitionem comparare animus est σὺν Θεῷ παλάμῃ.

HISTORIA.



Usticus XXVII. annorum, temperamenti frigidi & ſicci, memoriæ debilioris, laboribus agreſtibus deditus, & vigiles ſæpe noctes tranſigens, cùm parum bibiſſet hactenus, & proportione ad ſumtum cibum longè minus de cereviſiâ ſecundariâ vel aquâ, ſæpe verò ℣ tabacique fumo delectatus, nuper funeris inopinati aſpectu, & ſpectro, quod vidiſſe ſe refert, multum territus; Sentit inflationes corporis cum anxietate, dolores cordis, crebra ſuſpiria, quibus levari ſe credit, cibos & potum negligit, fugit converſationes ſolitas, ipſe ſuum cor edens, hominum veſtigia vitans, ſolitariam agit vitam, meditabundus ſæpè timet & timens meditatur, ſecum ipſe loquitur, torvum videt, lachrymatur ſine causâ manifeſtâ, dormire non poteſt, alvus non reſpondet officio, ructus acidi adſunt, ſalvari ſe non poſſe arguit; cognati ex vicinorum relatione ejus miſerti petunt conſilium.

RESOLUTIO.



Ffectum, quo Ruſticus hic laborat, *Melancholiam* eſſe, adeoque ad ſymptomata facultatis animalis læſæ referendum venire, ſeriò pronunciamus. Hic certè malitiâ & longinquitate nulli morborum ſecundus eſſe ſolet, niſi enim principiis obviam eamus, vix curabilem, imò à parte Medici ſcandalum ſæpè & illuſionem, à parte verò ægrotantis balneum Diaboli dici meretur.

Dicitur autem Melancholia, ab ipſo humore peccante in cerebro collecto. Ipſa vox Græcum agnoſcit fontem, ἀπὸ τ̃ μελαίνης χολῆς, *ab atrâ bile*, tanquam ipsâ materiâ morbum hunc inducente, juxta *Gal. 3. loc. aff. cap. 7. & 2. M. cap. 2.*

Adeſſe Melancholiam patefaciunt nobis ſigna in hiſtoriâ fuſè recenſita:

I. ES-

I. ESSENTIALITER INHÆRENTIA sive PATHOGNOMONICA signa, adest enim sine febri *mentis alienatio*, siquidem salvari se non posse arguit, secum ipse loquitur, adest *timor* & meditationes assiduæ, meditabundus enim timet & timens meditatur; *tristitia* adest sine causâ manifestâ, & crebra suspiria, quibus levari se credit, fugit conversationes solitas, ipse suum cor edens, hominum vestigia vitans, solitariam agit vitam, quæ signa melancholiæ manifesta sunt, dicente *Gal. Comm. in Hipp. 6. aph. 23.* & *de Sympt. Caus. l. 2. cap. 7. lib. 3. loc. affect. 6.* it. *Hipp. 7. aph. 40.* Imò unicum hoc, timor scil. & consequens tristitia omnibus Melancholicis commune signum est, ut habet *Aet. tetr. 2. s. 2. c. 9.*

II. ESSENTIALITER CONSEQUENTIA sive symptomatica alia signa idem evincunt: 1. In *facultate naturali*, neglectus ciborum & potûs, ructus acidi, & inflationes corporis; 2. In *Vitali* anxietates & crebra supiria. 3. In *animali* vigiliæ, dolores cordis, aliaque; in *excretis*, alvi segnities; in *qualitatibus mutatis* torvus obtutus, &c.

III. CAUSÆ PRÆGRESSÆ, post recensendæ, tum ex naturalium, tum non naturalium ac præternaturalium classe idem monstrabunt.

IV. SIMILITUDO id etiam indicat, quotquot enim melancholiâ unquam laborarunt, si non omnibus, tamen plerisque aut simillimis afflicti fuerunt symptomatibus.

SUBJECTUM sive pars affecta principalis hujus melancholiæ non est anima rationalis, neque enim ea lædi potest, nec afficitur hoc loco, nisi κατὰ συμβεβηκὸς per accidens & indirectè ob læsionem organorum, quibus ad operationes suas exercendas utitur; sed cerebrum, ubi animæ secretius tarithecium & regimen eminens reconditur. In nostro ægro vitium essentiale cerebri deprehendimus, sive dispositionem attendamus nativam, sive gradum ac magnitudinem morbi aliaque præcedentia; non excluso tamen penitus fomite in hypochondriis, quod patet ex ructibus

acidis, inflationibus & aliis. Accedimus ergò genuinum Subjectum, facilius enim, ait *Celsus l. 4. de re med. c. 1.* novimus morbum ejusque curam, si prius sedem ostenderimus. Duplex hoc est, vel ut QUOD, vel ut QUO. *Illud* est totus noster æger, duabus constans partibus essentialibus, animâ scil. & corpore; Subjectum ut *quo* est corpus cum animâ sensitivâ, quæ directè & ἰδιοπαθικῶς, rationalis vero indirectè & συμπαθικῶς, afficitur, quatenus nim. simul depravatur, & falsæ affectionum rationes eliciuntur ac producuntur pro veris, id quod apertè videmus in nostro hoc ægrotante, qui quidem minus obscurarum affectionum causas & rationes assequitur, se scil. salvari non posse, ob atrocia sua peccata, intricatioria tamen & obscuriora, gratiam scil. divinam majorem per causas sibi persuadere nequit, hæc tamen à notionibus secundis, ut *Sylvius* vocat, falsò propositis primariò dependere, extrà dubium est. Animam dico cum corpore, alterum enim alterius legibus tenetur, sibique mutuò sunt obstricti: Siquidem anima tanquam Spiritus incorporeus latentes experitur vexationes ac torturas, formidinem, anxietatem, zelotypiam, invidentiam, odium, indignationem mentisque inquietudinem, ac conscientiæ remorsum, qui affectus, vel ut verius dicam, perturbationes, si diutius animo inhæreant, illæque nec ratione discutiantur, nec divino præsidio superentur, non solùm mentem, sed corpus quoque sævissimè discruciant.

MINUS PRINCIPALE SUBJECTUM h.e. adæquatum ac συμπαθικῶς affectum est *cor*, pars dignitate cedens nulli, origo atque principium omnis vitalitatis nostræ. Tentant equidem hoc eliminare quidam, sed horum rationes nihil evincunt, & vix fieri potest, quin affectâ imaginatrice, cordis actiones simul lædantur, causantur enim varii animi affectus, quos quoties videmus, cor simul alteratum deprehendimus, id testantur ii, qui præ nimio gaudio diem sæpius obierunt ex corde nimium dilatato, spiritibusque vitalibus cum sanguine profusis. In nostro hoc

ægro

ægro ſimile quid occurrere, adeoque cordis ſimul habendam eſſe curam, patet ex præſente timore & triſtitiâ; imò ferè non aberrârim, ſi dixerim, cor prius affectum fuiſſe, quàm cerebrum, cum ex relatione hiſtoriæ audiamus, territum fuiſſe ægrum ex cadavere humato & viſo quodam ſpectro. Tandem & huc ſpectat conſenſus harum partium exquiſitus, patiente cerebro, patitur cor, & contrà: quicquid prodeſt aut nocet cordi, prodeſt aut nocet cerebro, & omnia cordialia ſunt cephalica & vice verſâ.

CAUSAS quod attinet, illæ ſunt vel mediatæ, vel immediatæ;

IMMEDIATA melancholiæ cauſa maximè reſidet in Spiritibus animalibus alteratis, obfuſcatis & tenebricoſis, ſive diatheſin ac indolem acetoſam induentibus, ex quibus eadem etiam phantaſmata oriuntur, depravata & quaſi tenebricoſa.

MEDIATA PROXIMIOR, quoad *eſſentiam*, eſt humor melancholicus in cerebro cumulatus, ſive ♀ ſylveſtribus ⊖libus ſcatens in dictis humoribus latitans, qui Spiritus animales ex ſanguine hoc vel Spiritibus vitalibus impurioribus genitos inquinat & itidem tenebricoſos ac impuros reddit. *Helmont.* ſordes ac impuritates hoc appellat *tractat. idea demens t. 28.*

Modum eſſendi ſi conſideramus, eadem tum quantitate, tum qualitate peccare deprehendimus; *quantitate* in cerebro noſtri ægri peccare humores melancholicos indicant nobis ſymptomata ſat gravia. Ratione *qualitatis* peccant 1. in *qualitatibus primis*, quat. ~us animales ab aëreâ ſuâ ſubſtantiâ in terream quaſi degenerant, & juſto frigidiores fiunt. Scimus enim ſubſtantiam cerebri, ceu veram Spirituum animalium officinam in ſtatu ſ. n. conſtitutam habere debere calorem inſitum moderatum, & ad Spirituum animalium generationem ſufficientem, qui ſi in legitimâ ſuâ temperie adſit, Sp. animales generantur temperati & laudabiles, quamprimùm verò imtemperies cerebro acceſſerit, Spiritus animales quoq; generantur vel juſto calidiores vel fri-

frigidiores, ex quibus postmodum phanthasma vitiatum, & delirium vel cum furore, vel cum metu & tristitiâ inducitur: posterius cùm deprehendimus in nostro hoc ægrotante, ex intemperie cerebri frigidâ factos fuisse Spiritus animales quasi frigidiores & ficciores, adeoq; eorundem substantiam aëream in terream mutatam fuisse arguimus. Peccant deindè quoad *qualitates secundas.* Cerebrum in naturali statu constitutum est candidum, pellucidum & nitidissimum, unde etiam similes generantur Spiritus pellucidi crystalli instar: illo verò à naturali suâ pelluciditate deflectente, ob materiam melancholicam impuram illi permixtam (quam Galenus σκότωμα vocat seu tenebras,) hinc quoq; Spiritus animales in eo generati impuri, crassi & melancholici evadunt. Verbo: deficiunt Spiritus volatilitate, sanguine & Spiritibus fixioribus existentibus ob acidum exsuperans & ☿riales figens. Tandem & juxtà quosdam afficiuntur quandoque Melancholici *qualitatibus occultis*, siquidem non semper deliriorum Melancholicorum reddere valemus rationem determinatam, fingunt enim, ut loquitur *Bartholin. cent. 1. observ. anat. 79.* quæ nec picta usquam, nec scripta, nihilque tam absurdum & ineptum occurrere poteſt, quod non melancholici sibi imaginantur, & verissimum esse pertinacissimè credunt, ut scribit *Senn. l. 1. prax. p. 2. c. 8.* Hoc tamen in nostro hoc ægro non occurit.

Peccant denique Spiritus ratione *motus*; duplex hic est, *generationis*, & *localis*, in nostro hoc ægro materia melancholica generata est per συναθροισμὸν in ipso cerebro, tanquam loco affecto & quidem 1. ob *facultatem læsam*, intemperiem frigidam & siccam, cui postmodum 2. *error externus*, terror præcipuè, stimulum addendo ingratum hunc hospitem recepit. Cùm tamen totus noster æger per temperamentum humoribus melancholicis scateat, non potuit non motus localis etiam aliquid addere, quatenus sangvinis impuri & ♀rei recrementa à toto & hypochondriis simul subministrantur, & hinc cerebri pelluciditate ademtâ, tenebræ quasi affunduntur ejus substantiæ, ut crassa magis

gis ac opaca reddatur, nec ſolito vigore ac puritate coruſcent.

Quoad CAUSAS MEDIATAS REMOTIORES de SUPERNATURALIBUS primum ut ſimus ſoliciti, potiſſimum nos invitat tritum illud: Melancholia eſt balneum Diaboli, quod inde ortum credibile eſt, quia non rarò dæmones occaſionem arripientes, DEO ſic permittente, ſeſe huic corporis conſtitutioni aſſociant, & omnis generis triſtes, abſurdas & pravas cogitationes homini ſuggerunt, atque entia multiplicando, præter eccentricitatem intellectus, ad deſperationem deducere tentant, præſertim malè ſibi conſcios, vitamque vitiis conſpurcatam agentes; quæ, niſi extrà oleas conſultationis vagari religio eſſet, latiùs deduci poſſent. Noſtro ægroto quidem ſingulares ſtrui videntur inſidiæ dæmoniacæ, dum ſalvari ſe non poſſe arguit, idque, uti fit, obſtinatè: abſit tamen, ut dæmoniaco morbo eundem detineri aſſeramus, deploranda potiùs eſt ejusdem calamitas.

Ex CAUSARUM NATURALIUM claſſe primo loco ſe offert

TEMPERAMENTUM frigidum atque ſiccum, ſeu uno verbo Melancholicum, ad ſimilia ſymptomata producenda aptiſſimum; Sangvinis enim hæc dyſcraſia quâ 🜔reitas remiſſiori gradu abundat, neq; ſ. q. ſeri blandioris diluitur, obtuſa ab intervenientibus terreis acidisve particulis non poteſt non Spiritus, quorum cum labe reciprocat, tenebricoſos producere. Hinc à fecibus ſuis nondum ſatis depuratus ſangvis per arterias ritè delatus in cerebrum, ibi non ritè in venoſos ductus tranſumtus, ſed circà *ἀναςομώσεις* ſtagnans, ſpiritus inquinat, eorum puritatem contaminando & naturalem temperiem alterando, melancholiam *φόβῳ καὶ δυσθυμίη ἄνευ φανερῆς αἰτίας* excitat terrificam, vid. *B. Rolfinc. diſſert. anat. l. 6. c. 5. p. 1245.*

ÆTAS FLORENS ad ſiccitatem magis inclinans quodammodo etiam concurrit, ut de SEXU VIRILI, elogio *Aben-Sinæ*, ad hunc affectum prono, nil dicamus.

Ex RERUM NON NATURALIUM numero primò ſe offert intempeſtivè adhibitus CORPORIS MOTUS,

dicitur enim in historiâ, quod æger laboribus agrestibus fuerit deditus, qui labores per se legitimo modo ac tempore adhibiti, tantum abest, ut Melancholicis damnum, quin potiùs commodum afferant. Si verò fuerint nimii & intempestivi, præsertim statim post pastum, non potuit fieri, quin cibus nondùm satis coctus, è ventriculo extrusus, plurimas cruditates & obstructiones produxerit, cum subsequente humorum in vasis obstructis putrefactione, cumque præsertim potus non accesserit sufficiens siccitas magis hinc fuit aucta.

VIGILIÆ continuatæ suum ἐπιβάλλον μέρος addiderunt, uti enim testantur lymphæ blandioris seu roscidi humoris defectum & cerebri intemperiem, ita & eadem augent, & unà Spiritus animales turbando, præter alia mala plura, mentis alienationem inducendo non impares fuerunt.

De VICTUS ratione quoad CIBOS historia quidem nihil refert, probabile tamen videtur ex conditione ægri rusticanâ, licet non quantitate, tamen qualitate in assumendis cibis eundem peccasse. Rustici enim & crasso utuntur victu, magni facientes carnem suillam, bubulam, fumo induratam, salitam muriâ conditam, casei panisque esum, aliosque crassiores cibos, gulæ deliciis vel alimentis commodioribus longè præferunt, qui si, ut certò colligere licet, fuerint adhibiti, cum ratione substantiæ sint δύσπεπτοι καὶ δύσχυμοι, non potuerunt non succi melancholici esse feraces.

De POTU nullo modo dubitamus, ut ex historiâ patet, quin tàm quantitatis, quàm qualitatis ratione peccârit, morboque stimulum addiderit: Ratione QUANTITATIS dicitur parùm bibisse ægrum & proportione ad sumtum cibum longè minùs. Peccavit ergò in defectu cum tamen, juxtà effatum *Coi 2. aph. 11*, reficiamur faciliùs potu, quàm cibo, imò in specie melancholicis conveniens potus valdè utilis est, siquidem humidum, quod indies absumitur ita restauratur, & calor absumens temperatur, quin & recrementa ⊖lina ac ♀rea aliquo modo diluuntur,

tur, imbibuntur, ac per □am unà ſecernuntur. Contrà verò potu deficiente, humores magis aduruntur, indiſpoſiti ad œconomiam corporis & Spirituum redditi, undè hoc pacto cibis in formâ ſicciòri ingeſtis, neque ritè dilutis ſiccitas augetur, coctio & digeſtio impeditur, obſtructiones generantur, ſcybala latentia melancholica ac ♀rea magis in actum deducuntur. QUALITATIS ratione parcus ille potus in utrumque extremum peccavit, ut enim aqua ſimplex vel cerevifia ſecundaria cruditatum ferax eſt, licet à conſuetudine id mitigetur, ita longè magis crebriori Spiritus Vini potu, tabacique hauſtu deliquit. Ponamus, 🜄 addere animum & ♀re ſuo ſanguinis intendere partes ☍ſas; Sit tabaci fumus curarum lenimentum, & uterque narcoticâ gaudeat qualitate, maximè tamen hæc ægri incontinentia culpanda venit, ſive acidas feculentias ſpiritùs vini, uti vulgò proſtat, attendamus, quæ ſanguini nuptæ impuriores reddere ſpiritus ac turbare unà aptæ natæ ſunt, ſive cruditates inde auctas ex reſolutione chyli præcipitatâ, ſive ſiccitatem & acrimoniam inductam majorem aliaque. Nam quid, quæſo commodi ex ſolito abuſu tùm 🜄, tùm imprimis tabaci, niſi quod ♀ peregrinum per ignem in tubulo accenſum, bibo ad ſe trahit & haurit, adeoque id, quod ſpiritus animales turbat per tubulum recipit, & ſic poſt hujus ſuffitum ſæpè ex prudente fatuus evadit.

Ad cauſarum numerum in *excretis* & retentis COELIBEM VITAM ſi retulerimus, vix aberraverimus, ſiquidem evacuationes ſuppreſſæ ſeminis, ut & in aliis hæmorrhoidum, menſtruorum, magnam habent vim in actum ducendi melancholiam.

Neque omittenda eſt ALVUS SICCIOR, quæ non reſpondet officio, nam juxtà *Celſum lib. 1. c. 3.* ex ventre ſuppreſſo inflammationes, caligines, capitis dolores, aliaque ſuperioris partis mala increſcunt. Excrementa enim cumulata halitus vitioſos ſpargunt, qui cum cerebro communicati, varia hinc ſymptomata conciliant.

Inter ANIMI PATHEMATA præcipuè hìc obſerva-

tur TERROR. Nam funeris inopinati aſpectu, & ſpectro, quod vidiſſe ſe refert, multùm territum fuiſſe ægrum historia dicit: præterea hunc comitatur TIMOR atque TRISTITIA. Hîc ſciendum, omnes animi perturbationes vim ſuam exſerere protinus in ſanguinem, cor ipſum, & conſequenter in reliqvum etiam corpus, undè in ſingulis animi affectibus, ſinguli cordis & arteriarum pulſus & motus obſervantur: in ſpecie verò hæc recenſita ſanguinem in toto corpore mutare poſſunt, terrore enim ſubito concentratur ad cor, ibi accedente metu & triſtitiâ remanet quaſi & aduritur, cum partium aliarum infrigidatione, unde humidum radicale cum viribus debilitatur, & ſanguis melancholicus productus, ac cum cerebro communicatus fuit. Certum enim & indubitatæ veritatis eſt, timorem & triſtitiam & producere melancholiam, & ab eâdem produci. Continuas etenim *meditationes* & *curas* ſuum quoque ſymbolum addidiſſe in confeſſo eſt, ſiquidem corpus vehementer extenuant, & ſiccant, ſomnum impediunt, perpetuisque vigiliis conficiunt. Imò ipſæ ſæpius ſolæ ſi diutius durârint, calorem nativum reſolvendo & extinguendo, melancholiam inducere poſſunt, idem ſtatuendum de *vitâ ſolitariâ*. Hinc mirum non eſt, ex tam copioſo cauſarum numero varia ſubſecuta fuiſſe ſymptomata, quæ cum anteà ſignorum vicem obtinuerint, explicari nunc poſtulant.

1. *Sentit inflationes corporis*, partim à partium coctioni dicatarum infrigidatione, & caloris debilitate, unde debiliùs agit in cibos ingeſtos, ut ignis debilis in lignum humidius, ſicque flatus & vapores copioſos generat, præcipuè cum & concurrat cruditas acida: partim ob humorum acrium, acidorum & ♀reorum in vaſis meſentericis & ſplenicis coacervationem.

2. *Anxietatem & dolorem cordis* producunt tùm ipſæ inflationes, diſtendentes diaphragma, ac ventriculi orificium vellicantes humores; tùm ſanguis viſcidior circà cor ſtagnans & ex nimio timore aliisque animi affectibus quietem meditans, unde diſtenduntur partes cordis & anxietas

oritur:

oritur: quemadmodum & in febribus intermittentibus, ubi remittere frigus incipit, solent non raro anxietates circà præcordia oriri, mox secuturi caloris præludia.

3. *Crebra suspiria* comites sunt tristitiæ: *His levari se credit*, cum oriatur anxietas ex distensione præcordiorum, in suspiriis verò majori vi exspiratur, hinc prolapsis aliquantum pulmonibus distensio fit levior, & in anxietate levamen sentitur.

4. *Cibos & potum negligit*, partim & cruditates in ventriculo detentas, unde vellicatio appetitûs impeditur; partim quia mens laborat & vim suam non habet ventriculus, evocato ad laborantis & continuò meditantis cerebri subsidium igne.

5. *Solitudinem amat & conversationes solitas fugit æger*, seu ob humoris melancholici tenebricositatem, quæ solitudinem & tenebrarum amorem ingenerat, seu ob spirituum concentrationem & fixitatem, seu quod melancholici intenti suis imaginationibus se præsentiâ aliorum impediri sentiunt, ob quam causam omnes etiam alii tristes consuetudinem & consortium hominum fugiunt ac solitudinem amant, ut rectè sentit *Sennert. institut. med. l. 2. p. 3. sect. 2. c. 4.*

6. *Meditabundus est assiduò* ob irrequietam phantasiæ circà objecta occupationem, unde & melancholici ab eo, quod mente semel conceperunt, vix abigendi, deque eodem semper cogitant: attamen quandoque & meditantur & quæsiti, quid meditentur, ipsi nesciunt.

7. *Timet* ob Spiritus animales à solitâ suâ agilitate, luce & alacritate descis centes, non aliter ac flamma nebulis immersa, lumine & splendore suo ordinario non gaudet, hinc sequitur falsa mali futuri imaginatio, nam nil sibi tutum fore putant, eoque semper timent.

8. *Torvum videt* quia facies exterior interius contentorum humorum effigiem & speculum præbet, eorumque interpres est, unde cum solito fulgore flamma vitalis non micet, nec hilari patet fronte.

9. *Lachrymatur sine causâ manifestâ*, indicio mœrentis animi, & ob hoc ipsum flammæ vitalis cohibitæ.

10. *Dormire non potest*, tum ob suavium ἀναθυμιάσιων, seu blandæ lymphæ defectum; tum ob perpetuam animi inquietudinem.

11. *Alvus non respondet officio*, ob nimiam scybalorum in intestinis exsiccationem ex improportionatâ diluitione & secundùm veteres, continuâ venarum mesaraicarum suctione, quæ cum intestinis continuatæ, omnem humiditatem exsugunt, quo fit, ut difficiliorem exitum obtineant feces.

12. *Ructus acidi adsunt*, ob cruditates acidas in ventriculo genitas per impeditam chyli ἀέρωσιν & evaporationem. Abundat enim in ventriculo acidum, menstruum improportionatum, hinc evolvi non possunt particulæ chyli utiles, suaves & dulces, sed ex ingestis cruditates generant, & ex his flatus similes per tentatam coctionem projiciunt.

13. Tandem & *mira sibi imaginatus salvari se non posse arguit*, tùm quia divina & animæ salutem ex corporis & spirituum constitutione metitur, tùm quia conceptum de peccatis ac eorum pœnâ ideæ, uti in melancholicis etiam aliis in genere fit, in majori specie & quasi infinitæ ob phantasiæ errorem repræsentantur.

Sufficiant hæc inpræsentiarum dicta de affectus naturâ & symptomatum rationibus: instituenda nunc erit ΠΡΟΓΝΩΣΙΣ seu prædictio eventûs, tanquam altera pars resolutionis. Triplex hæc est:

1. Ratione SALUTIS & MORTIS. Affectus hîc per se quidem non est lethalis, periculo tamen non vacat, siquidem duo corporis nostri Reges, cor scil. & cerebrum maximè infestantur; Dura admodum melancholiæ est curatio, essentialis præcipuè, nam longè sævior multoque atrocior est animæ, quàm corporis cruciatus ac tortura, quod interrogationis schemate, quò animo acriores infigeret aculeos, sic expressit *Persius:*

Anne magis Siculi gemuerunt æra juvenci,
aut magis auratis pendens laquearibus ensis,
purpureas subter cervices terruit? imus

imus

imus præcipites, quàm si sibi dicat & intus
palleat infelix, quod proxima nesciat uxor.

Adde, quod juxtà *Sylvium p. m. 292. prax:* judicium à præjudiciis vitiatum curatu admodum difficile sit, ac admissa semel ex animo exuere præjudicia, frustrà sæpenumerò instituitur: quin & Symptomata illa sat gravia nil boni indicant, præsertim desperabundæ cogitationes, quæ visæ sunt sæpius erupisse in *αὐτοχειρίαν*, unde ne medicamenta quidem sæpe admittunt. Non minus altiùs jam malum radices egisse videtur, & hinc difficilioris esse curationis, quod patet ex jam tum læsâ ratiocinatione, timore & mœrore continuo, qui sine ingenti delirio conservari nequit, juxtà *6. aph. 23* item crebra illa suspiria & alia. Interim cum æger adhuc sit juvenis atque in ætate consistente constitutus, viresque adhuc constent, non omnis restitutionis spes exhalat, sed bono animo esse jubemus eundem, & bona quævis expectantem, si modò non ipsum operibus nostris habeamus reluctantem; Oportet enim non modò se ipsum promtum exhibere ad ea, quæ decent facienda, Medicum, sed & ægrum & præsentes & externa, juxtà *Hipp. 1. aph. 1.*

2. Quoad LONGITUDINIS & BREVITATIS prædictionem etiam maximoperè hic attendendus videtur *Lipsius*, illos, inquiens, ab atrâ bile curat dies & quies, notante *Tulpio observ. l. 1. c. 19.* Longus, contumax & curatu difficilis est hic affectus, sicut omnes affectus melancholici ob humoris tenacitatem ac contranitentiam; & quia altiùs jam radices egit, longeque à naturali constitutione recessit, longum etiam tempus, ut ad pristinum statum reducatur, postulat. Interim nec hoc in loco desperabimus, sed instante vere annitemur, ut materiam peccantem vel ad statum naturalem, vel mitiorem saltim, tum coctione, tum præparatione & evacuatione mediante deducere possimus, unde & reliquorum symptomatum cessationem spondemus.

3. MODUM EVENTUS designamus vel hæmorrhoidum fluxum, quem beneficio naturæ melancholicis superveniens-

venientem bonum esse, effatum est *Coi 6. aph. 11. & 12.* vel artis ope, potissimum attemperatione & restitutione in integrum materiæ peccantis, hinc summâ ope niti nos decet, ne æger ob tristitiam & mœrorem desperatione ad αὐτοχειρίαν deducatur, sed potius sanguini & -~ibus tono suo restituto, sensim sensimque ad se magis redeat, discussis nebulis, iterùm pristino suo fulgori restituto igne animali.

Accelanda ergò CURATIO, quæ nititur indicatione triplici: 1. CURATORIA, quæ morbi ipsius, atque symptomatum ablationem suadet; 2. PRÆSERVATORIA, quæ causam melancholiæ respicit, ne amplius generetur. 3. VITALI, quæ consistit in virium prostratarum roboratione, facultatumque naturalium legitimâ conservatione. Apparatus harum indicationum desumitur ex tribus fontibus, *Chirurgico, Pharmaceutico* & *Diætetico.*

Ex FONTE CHIRURGICO primo loco se offert VENÆ SECTIO; hæc an locum heic habere possit, dubitare licet, quod in ægro nulla plethoræ indicia, & quod sanguinis particulæ volatiles potiùs videantur subjugatæ, quàm tumultuantes, & quæ dubia alia obstare possent; sed cum & ætas consentiat, & vires non desint, & præcipuè serum qs. 🜂ri incoctum, nec sufficienter individuo suo comiti sanguini maritatum, hinc ut locus huic novus concilietur, & torpido fluens rivo, vegetiori instruatur motu, suademus aperiendam venam cephalicam sinistri brachii, vel medianam. Sanguis emitti potest pro conditione virium & effluxus; niger enim effluens, quantitate majori mitti potest, non tamen ad animi deliquium, ceu quidam volunt, sin floridus effluat, vulnus citius occludendum minusque sanguinis profundendum. Nec inconsultum est, aperire venam tali seu saphænam, cum pedes non solùm maximum cum capite habeant consensum, sed etiam, ut natura ad hæmorrhoidum apertionem magis invitetur, ceu & venam frontis, si priora non sufficerint, secandam jubemus, observatis circà illam administrationem requisitis.

Hæ

II. HÆMORRHOIDES si videantur tumere & viam patulam efflagitare, cum commodo etiam aperiri poterunt, apertio tamen non tàm fiat scalpello vel sectione, metu non contemnendorum periculorum, quàm appositis hirudinibus, quarum ope nonnihil sanguinis vitiosi absorbetur. Locus cui applicandæ sunt, priùs inungi potest lacte, ut tenacius hæreant, ipsæque per aliquot dies aquâ limpidâ adservatæ sint.

III. CUCURBITULIS etiam uti possumus loco V. S. quæ pro more Germanorum hinc & indè factâ per phlebotomum punctione cum multâ flammâ applicari possunt, in scapulis, brachiis & cervice, nam illæ sanguinem ventilant, revellunt & humorem vitiosum evacuant. Notandum tamen, ne applicentur corpori nondùm præparato, aliàs minus proderunt ex voto. Attamen & applicari queunt cucurbitulæ non scarificatæ sive siccæ, ad faciendam à capite revulsionem ad partes inferiores, scapulis, brachiis &c. Frictiones item extremorum, pectinationes crebræ, & alia, quæ humores crassiores subtilisant, revellunt, & spiracula cutis aperiendo insensibiliter evacuant, ex usu esse possunt.

Præter hæc communia particularia aliqua eaque generosiora nobis promittit remedia Chirurgia. Inter quæ primum locum occupant VESICANTIA, hæc enim non raro in affectibus melancholicis intendere ipsa videtur natura, quando sc. pustulis vel varicibus excitatis se sublevat. Fieri autem possunt vesicæ juxta nonnullos eo in loco, ubi major datur transpiratio, qualis est vertex, ubi coalitus fit ossium cranii per suturam triplicem, raso prius capite, vel in nuchâ & ponè aures. Materiam vesicatoriis dare possunt cauteria cùm actualia, tùm potentialia, & ex his inprimis cantharides, cum fermento in formâ cataplasmatis, vel emplastri applicatæ, quo fine *vesicatorium in omni mentis alienatione Mynsichti armam. chim. sect. 29. p. 420.* commendamus. Horum administrationem tàm generalem, quàm specialem vide benè depictam *in dissert. de Vesicatoriis pro loco habitâ ab Excell. D. D. Faschio.*

Egregiè quoque opem feret, si reliqua incassum adhibita fuerint, SETACEUM nuchæ applicatum, ad extremos enim morbos, extrema exquisitè remedia optima, inquit *Cous 1. aph. 6.* Excitatur autem setaceum, quando filo serico per cervicem sive nucham traducto humor noxius evacuatur ex capite, fit hæc itidem lege & instrumentis peculiaribus artis chirurgicæ, de quibus videri potest *de Setaceis dissertatio D. D. Præsidis.*

Tandem FONTICULUS quoque, si mali perduret contumacia, applicari poterit, vel in crure pro re natâ, vel in brachio, cauterio vel actuali vel potentiali excitatus, licet quandoque etiam in nuchâ, vel in inferiore cervicis vertebrâ ad affectum præsentem coërcendum & refrenandum, fonticulus commodè gestetur & revellat à capite.

D D. Major tract. de chirurg. infus. p. m. 165. TREPANUM heic etiam inducit, ex *Rhodii cent. 1. obs. 43.* allegans, melancholiam quoque pertinacissimam, quamvis nulla adesset puris, membranæ incumbentis, suspicio, & cerebri tantùm flatu distenti eventilatio requireretur, Trepano salubriter sublatam à Julio Casserio Placentino, Aquapendentis laudati famulo primùm & discipulo, posteà ejusdem in cathedrâ anatomico Chirurgicâ successore.

Antequam autem ad talismodi operationes & in specie ad V. S. procedamus, ante omnia materia peccans per medicamenta debita alteranda, incidenda, attenuanda, præparanda. Nam antequam corpora quis purgare volet, ea fluxilia priùs faciat, oportet, monente *Hipp. 2. aph. 9.*

Hinc ad secundum Indicationis curatoriæ Fontem PHARMACEVTICUM scil. progredimur, qui ad hunc usum varia nobis ob oculos ponit medicamenta:

1. LENIENTIA. Talia sunt *pulpa passular: maj. & min. elect. de Tamarind. cum fol. senn. manna, epithymum, pill. de fumar. polypod. myrobal. indæ,* ☍ *amygd. dulc.* vel *olivar. recent. cum vino malvatico & alia laxantia satis nota.*

℞. ▽

℞. ▽ *chamædr. fumar.* an. ℥iß. *an. rhabarb.* ʒiat. *essent. fol. sen.* an. ʒß. *sirup. de succ. bugloss.* ℥ß.
M. F. Haustus. S. Lindtränckl ein.
℞. *elect. lenit. Burrhi* ʒiij. ♀ ⊖*lat.* ♂*tial.* ℈j.
F. l. a. c. ſ. q. ſacchari bolus. S. Lindbiſſen.
℞. *decoct. myrobalan. cum* ▽ *borrag. fact.* ℥viij.
Ræ ♀*ri* ʒß. ♂*tis pomat.* ʒj.
sirup. de 2. *rad. aperient. diaser. Andern.* an. ℥ß.
M. D. in fictili. S. Laxier-Tranck auff 2. mahl.
℞. MP. ♀*rear. Schröder.* ʒij. *extr. aperit.* ʒß.
elix. ppt. antiscorb. q. ſ. M. f. l. a. pilulæ. S. Lindpillen.

Vel applicetur ſequens clyſter humectans:

℞. *rad. 5. aperient.* an. ℥ij. *fol. malv. violar. branc. urs.* an mj. *summ. aneth. flor. chamæm. ros. viol.* an. mß. *sem. aneth.* ʒij. *prunor. dulc.* nō x. coq. in ſ. q. ▽æ font.
Colat. ℞. ℔. j. adde ⚭ *lil. alb.* ℥ij. *elect. lenit.* ℥j.
⊖. *gemm.* ʒß. M. applicetur convenienter.
℞. *rad. fœnic.* ℥ß. *malv. lil. alb.* an. ʒij. *fol. sen. ss.* ℥ß. *herb. bugloss. borrag. parietar. meliss.* an. mj. *fl. aneth. stoech. arab.* an. mß. *mechoacann. alb.* ʒj. *prunor. Damascen.* nō vj. *fœnigr.* ʒiij.
Coq. in ſ. q. ▽æ font.
Colat: ℞. ℔. j. adde *cassiæ pro clyster.* ℥ß.
mellis anthos. ℥j. ⚭ *chamæm. rutæ* an. ʒvj.
⊖ ♀*ri* ʒj. F. l. a. Clyſter, qui flatus ſimul diſcutit.

Subjungenda hiſce ſunt PRÆPARANTIA, quæ calefaciunt & humectant, ut *rad. cappar. polypod. scorzon. cich. 5. aperient. herb. capill. ♀ris. cuscut. epithym. fumar. flor. viol. ros. borrag. sem. genistæ, succus pomor. sirup. de pomis, de ros. viol. &c.* tùm ſingula ſeorſim, tùm invicem mixta, quorum uſus per aliquot dies continuandus.

℞. ▽ *nasturt. scorzon. polychrest.* an. ℥ij. *mixt. simpl. Andern.* ♎ *aperit. Penot.* an. ℈ij. *sir. de pom. Regis Sapor.* ℥j.
S. Præparir-Träncklein.
℞. *arcan.* ♀*ri*, Ræ ♀*ri* an. ʒj. M. S. Digeſtiv Eſſentz.

℞. R*æ* ♂ *Zwelffer*. ℥iij. D. in vitro.
S. öffnende Tinctur.
℞. R*æ* ♂ ⊙*lar*. ℥ß. S. u. ſ.
℞. *conſerv. cich. cochlear. fumar.* an. ℥iij.
ſpec. diatrion ſand. ʒj. *diarhod. abat.* ℈ij.
R*æ* ♂*tis* ⊕*lat.* ℈j. *cum ſirup. de fumar ſimpl.*
F. l. a. Elect. S. Blutreinigende Latwerge.

Humoribus per aliquot dies ita præparatis, convenit fortiora adhibere PURGANTIA, elogio *4. aph. 9.* & *μελανάγωγα*, quæ caput ſimul reſpiciunt. Talia ſunt, quæ *ἄνω καὶ κάτω* purgant. Per ſuperiora purgabunt

VOMITORIA, hæc maximè in uſu ſunt ad evacuandam melancholiam, inprimis verò heic convenient ob pituitoſos humores & cruditates acidas in ventriculo melancholici noſtri contentas, quæ ſi diutiùs retineantur, facilè & fovere malum diutius, & alia plura mala producere poſſunt. Commendamus hunc in uſum ſequentia:

℞. *rad. aſari* ʒij. *ſummit. fumar.* mß.
Affundatur vinum ſ. q. ſtent in infuſione per noctem; colaturæ mane factæ ℞. ℥iij. adde:
elect. diaſar.: Fernel. ʒiiß.
ſirup. de peto. ℥ß. M. S. Brechwein.
℞. *croci metall. abſinth.* gr. vj. Stent cum vini Francici ℥iv. in infuſ. manè filtretur. S. Brechwein.
℞. ♀ *emet. Mynſicht.* gr. iij.
conſerv. roſar. ʒj. F. l. a. bolus.
℞. ☿*rii vitæ* gr. vj. Stent in infuſ. per ℘ cum
▽ *fumar. hyper.* an. ℥ij. Mane colaturæ adde
ſirup. de fumar. ʒiij. M. F. hauſtus.

Inter PURGANTIA per alvum ex ſimplicibus potiſſimùm ſe offert *helleborus* ſeu *veratrum nigrum*, per humectantia acidave correctum, ut extractum hellebori nigri. Hoc maximi uſus eſt, ubi veratro opus eſt, h. e. ubi valdè antiquus eſt affectus, & ceu vectibus extrudendus, ut loquitur *Gal. com. 1. l. 6. epid. ſect. 6.* Hinc etiam hominem non ſatis aptè ratiocinantem dicimus caput helleboro dignum. Imò helle-

helleborus certa melancholiæ antidotus, non solùm purgantis loco, sed & alterantis, si minori dosi exhibeatur, optimè audit, quo fine sunt, qui extractum ejusdem cum menstruo aqueo factum magnitudine pisi ter in septimanâ propinant, addito pulvere mastiches & cinnamomi. Facit huc etiam *extractum melanagog. Quercet. flor. ♁nii purgantes, laxativum metallicum catholicum, laxativ. mineral. cathol. extract. Rhabarb. panchymagogum Crollii, catharticum vegetabile universale, &c.* Præcipuum etiam medicamentum est lapis lazuli, non ita solicitè lotus & præparatus, ut ferè omnes urgent, nos enim præferimus præparationem simpliciorem. Ut alia taceamus, commendamus sequentia composita:

℞. *pulv. laxat. vegetab. lazul.* an. ℈j.
magist. scammon. ♀ ⊕*lat.* an. gr. iij. M. F. pulv.
S. Laxier-Pülverlein.

℞. *pulv. diasen. Montagn.* ʒß. *cerberi tricipitis* ℈j.
☍ *anis. gt.* j. M. f. l. a. pulvis.

℞. *rad.* 5. *aperient.* an. ʒij. *pæon.* ʒiij.
herb. fumar. ceterach. veron. spicanth. an. mj.
fl. hyper. anagall. phœnic. an. p. iij.
cort. tamarisc. cappar. an. ʒiß. *fol. sen. ss.* ʒvj.
mechoac. alb. ʒij. ⊖ ♀*ri* ʒß.
schœnanthi, cinamomi, an. ℈j. M. concis. contus.
S. Species zum Laxier-Wein.

℞. *decoct. aperit. Mesue* ℥iij. *confect. hamech.* ʒiiß.
extr. rhabarb. cartham. an. ℈j.
sirup. de pomis laxat. ʒvj. M. F. Haustus.

℞. *flor.* ♁*nii per infer. purgant.* gr. vj. *extr. helleb. nigri* ℈ß.
scammon. ♀*rat.* gr. iv.
F. l. a. cum *sp. cochleariæ* pilulæ. S. Purgierpillen auff einmal.

℞. Mª ♀*rear. Quercet. vel Schröd.* gr. xvj.
extr. ♂*tis helleborat.* ℈ß. *magist. scammon.* gr. vj.
cum *elix. propriet. antisc.* M. f. l. a. pilulæ consperg.
cryst all. ♀*ri.*

Evacuatione per alvum decenti modo præmissâ, *Galenus 1. de art. cur. ad Glaucon. c. 9.* καὶ τοῖς οὔροις, καὶ τοῖς ἱδρῶσι ἄγειν, *& per urinas & sudores ducere* jubet: si quidem in melancholiâ & omnibus melancholicis affectibus ita comparatum est, ut si materia crassa legitimo modo evacuata sit, postmodum residua colluvies serosa ad vias ☐arias interdùm tendat, undè medicus, ceu naturæ minister, juxta *divini Senis præceptum 1. aph. 21.* hanc intentionem adjuvet, ut ad scopum deducatur, propterea & nostro ægroto DIURETICA ex usu erunt. Talia sunt ex vegetabilibus *rad. asparagi, diptam. cret. raphan. sylv. urticæ, petrosel. herb. beton. lupulus, fumaria; Sem. viol. genistæ, bacc. alkekengi. amygd. amar. resin. terebinth.* Ex mineralibus, ~ ⊖*lis*, ~ ♀*ri*, ☐*æ*, &c.

℞. ~ ♀*ri* ⊕*lati Schröd.* ʒij. D. in fict.
S. Harntreibender Spiritus 20. Tropffen auf einmal.

℞. ▽ *polychrest.* ℥ij. ~ ⊖*lis compos.* ʒj. *sir. fragor.* ℥j.
M. D. in fictili. S. Harntreibendes Tränckkein.

℞. ~ ✱*ci* ʒj. ⊖ ♀*ri* ℈ß. *malvatici sambucini* ʒij.
D. in vitro. S. öffnende Tinctur.

℞. *arcan. dupl. Mynſ.* ʒj. ⊖ *cichor.* ⊕*lat.* ℈j.
C. C. volat. fixat. ℈ß. M.
S. Oeffnend Saltz auff 4. oder 5. mahl.

Acidulas Egranas vel Schwalbacenses hunc in usum multum etiam præstare, extra dubium est.

SUDORIFERA quoque apprimè ægroto conducent; operantur hæc vel per se, vel ex accidenti: ex numero priorum sunt omnia volatilia, v. g. ~ ✱*ci, theriacal. juniperi,* ♀*ri, C. C. vol. succini,* Ʀ*a bezoard. M.* quæ omnia per se sudorem cient, quat. vi suâ volatili sanguinem attenuant & fundunt, id quod in ægro nostro necessarium omninò est. Ex accidenti autem operantur illa, quæ viscida incidendo & acida præcipitando sanguini liberum motum restituunt. Talia sunt *diascord. Fracast. bolus armena, corall. oculi* ♋. &c.

℞. ~ *hyperici,* ♀*ri rectif.* an. ʒj. ⊕*li cephal.* ℈j.
Ʀ*æ* ♁*nii Zwelff.* ℈ß. M. D. in Vitro.
S. Schwitz-Tinctur auff 2. mahl.

℞. ♁*nii*

℞. ♁nii *diaph.* ℈j. ⊖ *sangv. hum. volat. fixat. cent. min. absinth.* an. gr. vj. *terr. sigill.* ℈ß. M. F. pulv. divid. in 2. p. æ. S. Schwitz-Pülverl. auff 2. mahl.

℞. *bezoard.* ♂*tial.* ℈ß. *corall. præparat. Zz.* ♁*nii* an. gr. vj. ⊖ *succin. vol.* gr. iij. *elæosach. citri.* gr. ij. M. S. u. s.

℞. ▽ *fumar.* ℥ij. *M. S.* ʒj. ꝶæ *corall. cum* ⚹ *lignor.* ℈ß. *sir. papav. rhæad.* ʒij. M. F. Haustus.

℞. ▽ *rhizot. Zwingeri, card. bened.* an. ʒvj. ⊖ *fumar. absinth. card. bened.* an. ℈ß. *sir. de fumar. simpl.* ℥ß. M. S. Schwitztranck auff einmal.

Corpore ita universaliter præparato, evacuato & à sordibus purgato, restant particulares capitis affecti evacuationes, quæ fiunt vel externis vel internis. Per externa r. intelligimus

ERRHINA, quæ naribus attracta expultricem cerebri stimulando materiam peccantem evacuant atque discutiunt, talia sunt potissimum *rad. ireos, helleb. nig. cum lacte, rad. betæ, cyclam. euphorb. elaterium, fl. lil. convall.* &c.

℞. ▽ *nicotian. majoran.* an. ℥ß. *elater.* gr. vj. *mosch. opt. ambræ* an. gr. ij. M. D. in fictili. S. Wasser zur Nasen.

℞. *herb. majoran. origan.* an. ℈j. *flor. lavend. lil. convall.* an. ℈ß. *rad. cyclam. helleb. alb.* an. gr. iij. *mosch. ambr.* an. gr. iij. ⁂ *rut.* gt. ij. M. F. pulv. Detur in pyx. S. Nieß-Pulver.

2. APOPHLEGMATISANTIA quæ ori immissa & masticata crassam salivam solvunt atque educunt, talia sunt *mastiche, caryoph. arom. pyrethrum, sinapi, ZZ, piper, Rad. angelic. bacc. laur. cubebæ* & alia plura.

3. SALIVATIONES per ☿rialia, tam internè, quàm externè adhibita, excitandas quæ per arterias & ductus salivales humores totius corporis noxios per sputum evacuare possunt.

ALTE-

Alterantia tùm interna tùm externa etiam neceſſaria ſunt, quæ non ſolùm intemperiem cerebri totiusque corporis reſpiciunt, ſed & ſimul maximè corroborant caput & cor, ſanguinem purificant, omniaq; totius corporis membra vigorant, & peculiari proprietate diſpoſitionem melancholicam tollunt. Inter hæc, ſelectu quodam inſtituto, pauca tantùm commendamus ſequentia:

℞. R ☽næ ʒj. D. in vitro. S. Stärck-Tinctur.

℞. Ræ *corall. cum menſtr. cœleſt. parat.* ʒij.
eſſent. hyperic. cum ~ *propr.* ʒj. M. ſ. u. ſ.

℞. *elixir. cephal. cum* ~ ⊖ ✱*ci D. D. Præſid.* ʒij. D.

℞. *eſſent. cephal. balſam.* ʒj. ⊖ *rutæ volat. D. D. Præſid.* ℈j.
M. in vitro. S. Haupt-Mixtur.

℞. *ſpecif. cephal.* ʒij. *fragm. lap. 5. pretioſ.* an. gr. v.
bezoard. ☉*lar.* gr. vj. M. F. pulv. S. Stärck-Pulver.

℞. *ſpec. lætific. Rhaſ.* ʒij. *ZZ.* ♉*nii* ℈iß.
confect. alkerm. in ſolid. ʒj. *magiſt. perlar. corall.* an. ℈ß.
M. F. pulv.

℞. ▽ *beton. ſalv. meliſſ.* an. ℥ij.
eſſent. corall. perlar. ſmaragd. lap. bez. orient. an. ℈ß.
ſir. borrag. citri an. ℥ß. *confect. alkerm.* ℈j.
M. S. Stärck-Träncklein.

℞. *conſerv. bugloſſ. borrag. meliſſ.* an. ℥j.
rad. helenii condit. ℥ß. *confect. alkerm. elect. de gemm.* an. ʒij.
ſpec. lætific. Rhaſ. ʒiß. *cum ſirupo corall.* Q. ſ.
F. l. a. Electuarium. S. Haupt und Hertzſtärckende Lattwerge.

Externa etiam ſpecifica adhibenda. Faciunt huc *embrochæ* & *lotiones* capitis & extremorum ex herbis calefacientibus & humectantibus, præcipuè verò cephalicis ſpecificis, qualia ſunt *roſmarinus, betonica, meliſſa, borrago &c.* Siquidem balnea aquæ dulcis melancholicis maximè commendat *Moeb. Inſtitt. Med. p. 522. coroll. 3.*

℞. *rad. althææ* ℥j. *fol. ſalicis, vitis, lactuc. chamæm. Rom.* an. mij.
ſumm. aneth. ſerpill. polii mont. an. mß. *ocul. popul.* mj.
cap. papav. nō xij. *cort. mandrag.* ℥ß.
M. conciſ. D. in chartâ. S. ſpecies zum Fußbad.

℞. ▽ *me-*

℞. ▽ meliss. bugloss. borrag. an. ℥ij. spec. diamarg. frig. ʒiß. croci gr. vj. sandalor. omnium an. ʒß. vini Hispan. ℥ß. M. F. l. a. Epithema. S. äuserlicher Umschlag zum Hertzen.

Referri etiam huc queunt animalia viva per medium dissecta, capitis parti posteriori & spinæ dorsi applicata, siquidem *Amatus Lusitanus*, referente Aldrovando in ornithologiâ suâ cap. de columbo testatur, se per columbum & catulum in medio dissectum, & posteriori capitis parti cum spinâ dorsi continuatâ impositum, fœminæ cuidam melancholiam fugasse.

Ut tandem & reliquis symptomatibus obviam eamus, & inferiori potissimùm ventri succurramus, interponenda quandoque suademus ægro nostro maximè

FLATUS DISCUTIENTIA, quibus discussis, anxietates circà cor cessabunt. Talia sunt ⊖*lia volat.* ℅*osa* & aromatica pleraque, ex quibus ℅ea possunt destillari, unde & carminativa audiunt, ⌒ Ⓘ *dulcis*, *essentia carminativa DD. Præsidis, ol. carminat. Mynf. mixtura carminat. Sylvii*, &c.

℞. ▽ *cinamomi* ♌*t.* *veron. cum v.* an. ℥ß.
carminat. Doncrell. ℥j. ⌒ *menthæ essentific.* ʒij.
℞*æ cort. aurant.* ʒj. *malvat. juniperin.* ʒiij.
M. S. Mixtur auff etliche mal.

Vel post cibum sumatur sequens tragea, ventriculum simul confortans:

℞. *spec. arom. rosat. diacumini* an. ʒij. *nucis mosch.* ʒj.
galang. cardamom. caryophyll. an. ʒß.
sem. anisi, fœnic. coriandr. præp. cubeb. an. ℈ij.
sacchari ad pondus omnium. S. Magen-Trisenet.

VIGILIÆ si adhuc urgeant, miscenda sunt cephalicis opiata ad aliquot grana, vel etiam soporem cientia, anodyna & opiata interlocanda, non omissis humectantibus.

℞. *sem. 4. frigid. maj.* an. ʒij. *papav. albi* ℥ß.
nucl. persic. ʒiß. ▽ *nymph. violar. portulac.* an. ℥iij.
M. F. l. a. Emulsio, adde *magist. anod. ceph.* g̃. vj.
sir. papav. simpl. ℥ß. S. Kühlmilch.

℞. *conserv. nymph.* ʒj. *laud. opiat.* g. iij.
extr. hyperic. g. vj. M. F. l. a. Bolus. S. Schlaffbissen.

Subjicimus his FONTEM DIÆTETICUM, cujus præprimis diligens ratio est habenda in ægro nostro, cum non rarò ex solâ diætâ melancholia fugata sit.

In DIÆTA NATURALI commendamus ipsi cibum εὔχυμον καὶ εὔπεπτον, ut bonus & laudabilis sanguis iterum generari possit. Ex carnibus eligatur vitulina, hœdina, leporina, caponum, gallinacea, bubula juvenca, elixa potiùs, quàm assa, ova recentia, pisces saxatiles. Condimentum harum sint *cappares*, *rosmarinus*, *thymus*, *sem. carvi, anisi*, &c. Vitentur cibi flatulenti, pravi succi, durioris coctionis, quales sunt carnes muriâ & sale conditæ, & fumò induratæ, harengus, aselli, acida quoque nimis it. cepæ, allium, brassica, pisa, lentes, fabæ cane pejus & angue fugienda, cum sanguinem crassiorem producant, coctionemque ventriculi debiliorem delassent. Panis sit benè fermentatus & quandoque ⊖le & cumino conditus. Quantitate ne excedat cibus, sed æger pro conservatione virium edat ad satietatem, non verò ad nauseam.

POTUS non amplius sit aqua, sed cerevisia benè defecata, lupulo benè condita, lac caprinum, vel serum lactis, quod instar ipsius medicamenti est, vel vinum ὀλιγόφορον. Spiritum Vini ipsi non adimimus, præsertim si post cœnam eo moderatè utatur. Commodius tamen in hujus locum substitui posset *elix. vit. Matthiol.* Quantitatis ratione potus sit paulò largior, quàm hactenus.

Suffitus foliorum tabaci exulet; si tamen consuetudo vi expulsa iterum recurrat, adhibeantur moderatè & mixta herbis specificis cephalicis, ut

℞. *fol. tabaci selecti per se exsiccati* ℥ij.
herb. beton. rorismar. meliss. majoran.
flor. anthos, tunices, salviæ, rosar. violar.
cheiri, primul. veris an. ʒj. *lilior. convall.*
sem. cardamom. coriandri, anisi an. ℈iß.

ras.

ras. ligni sandal. flav. ℈j. *storac. calam.* ℈ij.
℅ *ligni rhodii, citri* an. gt. iij. M. F. pulvis grossus S. Kräuter-Tabac.

IN VITALI AER qui inspiratione attrahitur, ambitque ægrum, sit calidus & humidus, & si per naturam haberi non possit, arte paretur.

IN ANIMALI ANIMI PATHEMATA, veluti sunt terror, timore & tristitia, quantum fieri potest, aboleantur, cum, uti ipsa malum signant, ita maximum addant momentum. Cura item omnis abroganda, quoniam calorem innatum resolvit & extinguit, corpus vehementer extenuat & exsiccat, somnum impedit, perpetuis vigiliis conficit, viresque destruit, teste *Gal. l. 2. aph. comm. 28.* Idem intelligendum de tristitiâ jam dictâ, elogio enim Regum sapientissimi spiritûs tristis exsiccat ossa. Hinc varii generis ægro offerantur delectabilia, aliaque animum laxantia diverticula, musica, variæque picturæ. Tempus teratur variis exercitiis, hilarique conversatione, ex cujus colloquiis percipiat hominis libertatem & dominium in affectus &c.

Scholæ Salernitanæ præcepta observet:

Utere convivis, non tristibus, utere amicis,
quos nugæ & risus & joca salsa juvant.
Tange lyram digitis, animi dolor omnis abibit,
dulcisonum reficit tristia corda melos.

Precibus etiam continuò armatus offendatur æger, & contra pravas imaginationes, quibus affligitur, confugiat simul ad Evangelicæ promissionis ministros, ut fœda vitia mentibus eximant, cum efficaci vi spiritus & salutari doctrinâ morbis animi medeantur, corque à vitiis tanquam venenosis affectibus liberum efficiant, ac divinis dotibus exornent; mens stabilienda per misericordiam divinam, frequenti oratione impetrandam, tanquam fortissimis contra omnes tentationes armis. His nisi victum se dare velit, siquidem omnium ferè melancholicorum proprium est, imaginationibus semel animo conceptis firmissimè inhærere, tantum abest, ut ipsi contradicendo vi adversemur,

ſemur, ut potius ſtrategematibus ad ſcopum pertingere tentemus, quorum varia pro varietate phantaſmatum videri poſſunt apud *Bauſch. tract. de cœrul. & chryſocoll.*

SOMNUS ſit longior; quia humectat corpus & vires reficit, vigiliæ contrà ſiccitatem augent, viresq́ deſtruunt, proindè & hîc meridianum non diſſuademus.

CONJUGIUM etiam ſuademus ægro noſtro, non tàm ratione exercitionum ♀rearum, ſed & grati & delectabilis ſodalitii.

ALVUS ſit ſemper ſui officii memor, ut & alia microcoſmi excernicula, quod niſi fiat, leni clyſtere aliisque jam abundè dictis reſarciatur.

PEREXIMIE HEYDENREICHI.

Bibliothecæ Alexandrinæ inſcriptum olim legitur: ψυχῆς ἰατρεῖον, animæ medicina. *Inſignire diatriben Tuam eodem haud dubiè licet encomio. Medicina corporum vitia membrorumq́ morbos medicaminibus expellit, & ſine animæ ſpiritûsq́ contagione, quæcunq́ extrinſecus accidunt, potione vincuntur. Uti verò mentis mala ad corpus tranſeunt, & corporis vitia in mentem redundant, ita & huc medicina opem miniſtrat.*

Abducatur à luminibus ſuis animus, & pro lætitiâ dolorem fingat, pro blanditiis gaudiisq́ triſtitiam præcipiti incogitantiâ ſubſtituat, ut calamitatis vix liceat æſtimare menſuram, praſtò eſt medicina, quæ extra ordinem motas horologii microcoſmici rotulas ſibi reſtituit.

Relatum inter miranda eſt à divino Eraſmo, *purgante hauſto, qui obſeſſus videbatur, ad ſe rediiſſe. Ad Anticyras ire, helleborumq́ ſumere jubebantur antiquitus mentis inopes, vectibus ſcilicet opus eſt, ut expellatur hic morbus. Indoctis ignorantiam abſtergere difficile eſt, delirantes phantaſmate liberare, gravius.*

Tu improbo labore utriq́ proſpicere geſtis, ut ſit mens ſana in corpore ſano. Animum imbuis, ut aliis eundem reddas. Oculorum panegyrin tempe noſtra luſtras, ut quæ ex uſu ſint ſeligas; viſcera ſcrutaris, ut tonum ſerves incolumem, & debilem reſtituas; fumantem veſtam ſpectare lubido eſt, & dotes exprimere vaſti tricorporis regni.

Macte hâc ſolerita! Prodit in lucem profectuum Tuorum ſpecimen, ut patronis magis innoteſcas, & patriæ conſtet, quantum à Te expectare poſſit. Benè eveniant omnia, & quæ Te manent præmia, & invidendi ſucceſſus!

Dab. è muſeo VI. id. maji 1675.

Georg. Wolffg. Wedelius.

F I N I S.